

set; atque ut jacta simultatum semina, tractu temporis coali-  
ta, omnia in posterum novorum ineundorum foederum jura  
infringerent, cum minime ambigendum esset, permolestam  
christianorum Principum amicitiam Turcis esse, atque eorum  
præsertim, qui paulo ante insigni victoria maritimas illorum  
vires attriverant; quos licet dura in præsens necessitas dis-  
junxit, quacumque oblata opportunitate, acceptarum inju-  
riarum memoria recrudescentibus odiis, quæ ægre ab exulce-  
ratis animis depelluntur, novo connecti foedere posse arbitra-  
rentur. Itaque ut Salomoni hunc in modum responderetur,  
decretum est. Magnas Selymo potentissimo Regi de iis, quæ  
per Salomonem agere cum Republica voluerit, haberi gratias.  
Ceterum nullas inimicitiarum sibi cum Philippo Rege causas  
esse, ut vel adversus illum ciere bellum, vel damna illi in-  
ferre statueret. Ejusmodi responsum minime gratum sibi ex-  
titisse, Salomon palam ostendens, multa ex iis, quæ antea  
dixerat, commemorare, oblatam Reipublicæ proferendi fines  
occasionem amplificare, Hispanorum injurias ulciscendi oppor-  
tunitatem extollere, aditum ad imperii incrementa parari:  
Selymum minime probaturum oblatas a tanto Rege conditio-  
nes a Republica parvipendi. Verum nulla in parte priori de-  
creto immutato, dimisus Salomon, ac decem auri libris Rei-  
publicæ nomine donatus est.

Vix Venetiis discesserat, cum statim vulgatur, Selymum im-  
pressionem in Africam facturum, Tunetumque, ac Guletam  
oppugnaturum; iis locis potiri se facile posse ratus, tum ob  
ingentes apparatus, quos hoc anno molitus fuerat, tum ob in-  
situ in Afros erga nomen Hispanum odium; cum præser-  
tim sibi suaderet, conspecta iis in locis turcica classe, in Hi-  
spania seditiones ac tumultus excitatum iri, ab iis præcipue,  
qui Bæticam, atque Andalusiam incolerent, regiones incredi-  
bili Maurorum numero refertas, qui, christiana simulata reli-  
gione, sensibus intimis mahometicis superstitionibus affecti,  
immortali odio Hispanos persequuntur, ac in omnem novanda-  
rum rerum occasionem intenti sunt. Hac spe subnixus Sely-  
mus Africæ minitabatur. Veneti vero Marco Quirino classis  
præfecto, Lucæ Michaelio legato, ne in Creta classem augerent,  
ne ex insulis novas triremes armarent, neve præter decem e-

*Senatus re-  
sponsum.*

Cre-